

# EPISTULA LEONINA

## LVIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

**MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.**

**ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENSA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.**

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
DUODESEXAGESIMAM (58) !**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre **Epistulam Leoninam duodesexagesimam (LVIII).***

*Agitur **de Lucio Annaeo Senecâ philosopho.** Haec relatio autem est altera seriei Senecanae, quae habet partes quattuor: partem primam tibi iam proposui in Epistulâ Leoninâ quadragesimâ quartâ (44), p.5-13. Tribus ferê annis ante, circa Natale Domini anni MMX, coeperam in Latinum convertere symbolam de Senecâ Wikipedianam. At interim novissimâ symbolâ Wikipedianorum Senecanâ inspectâ stupefactus sum animadvertens hanc praesentem aliquatenus discrepare ab illâ, qua usus eram ante triennium ad versionem meam Latinam faciendam. Interim alia sunt addita, alia sunt deleta. Tamen haud puto auctoritatem symbolae prioris, quam Latinê reddidi, interim deminutam esse, praesertim cum illo iam tempore symbola Senecana a censoribus peritis signata esset sigillo, quod sequitur: 🇺🇸 i.e. symbolâ summae excellentiae!*

*De Senecae autem virtutibus vitiisque alii aliter sentiunt; procul dubio is vir, qui Nerone puero unâ cum Burro Imperium Romanum rexit, postea tyranni adolescentis furorem mitigare frustra conatus denique fortiter mortem obierit, non potuit remanere “integer vitae scelerisque purus”. Ipsâ in hac symbolâ crimina invenies haud levia, quae eidem sunt allata. Nec defuerunt, qui Senecam graviter vituperarent, quod ipse non servaret praecepta sua moralia, quae lectori suo iterum iterumque inculcaret.*

*At “pleraeque res sunt intricatae et de culpâ” - ut nuper lêgimus in libro Ferdinandi a Schirach, defensoris illius poenalis – “difficile est iudicare”. Quinam philosophus in vitâ suâ propriâ semper fideliter observavit omnia praecepta sua? Nonne Terentium sequamur, qui scribit “Homo sum, humani nil a me alienum esse puto”. Nonne Propertium, qui nobis affirmat: “In magnis voluisse sat est”? Nonne iuvat atque decet nos de Senecae philosophi vitiis virtutibusve existimantes in memoriam revocare Christiana illa verba maximê admirabilia: »Qui sine peccato est vestrum, primus ... lapidem mittat« et »Nolite iudicare, ne iudicemini«?*

*Utinam quam plurimê placeat tibi lectio huius Epistulae Leoninae duodesexagesimae.*

**Pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Solis, 29. m.Sept. a.2013



**QUALIS ARTIFEX PEREO !**

**NERO**

**(37-68 p.Ch.n.)**

## DE SENECA PHILOSOPHO (II)

Symbola, quam e Wikipediâ encyclopaediâ liberâ excerptam in Latinum convertit *Nicolaus Groß*. Pars Prima huius symbolae invenitur in Epistulâ Leoninâ 44, p.5-13.

Verisimile est Neronem adolescentem a Senecâ imbutum esse praeceptis philosophicis, quamquam Agrippina volebat illum imprimis ita praeparandum esse, ut postea fungeretur munere principis. Nero ipse inclinatus erat in artes pulchras, quibus colendis haud inhabilis cupiebat se publicê praestare magnum artificem. Fortasse eo quoque tempore Seneca coepit tragoedias scribere; quo nescimus an plus valuerit et effecerit ad successorem imperii se aemulantem.<sup>40</sup>

Fieri potuit, ut Seneca tragoediis, quibus omnibus argumenta recepit mythorum Graecorum Aeschylum, Sophoclem, Euripidem secutus, ita uteretur, ut discipulum partim fortiter formidulosêque, partim leniter lusoriêque imbueret persuasionibus suis philosophicis. Exemplum afferimus fabulae Senecanae, quae appellatur *Thyestes*.<sup>41</sup> *Fuhrmann* putat fieri potuisse, ut et Nero et Neronis magister fabulas Senecae coram convivis invitatis agentes ipsi personas gererent.<sup>42</sup>

Per quinque ferê annos Seneca educator et Nero alumnus hîc modo inter se egêrunt. Auctores antiqui autem referunt hoc spatium temporis finitum esse eo quod Agrippina Claudium maritum veneno imbueret, cum putaret aptam horam venisse, qua Neronem faceret imperatorem, ut ipsa etiam potentior fieret quam antea.

### Seneca quomodo particeps fuerit imperii Neroniani incohendi

Traianus, gentis Hispanae ideoque Senecae compatriota, qui annis 98–117 fuit imperator Romanorum, quinque annos imperii Neroniani priores (i.e. annos 54-59) appellavit Quinquennium Imperii Romani felix.<sup>43</sup> Sedecim demum annos natus Nero autumnò a.54 principatum adeptus est; laus autem eximia annorum principatûs priorum praecipuê spectat ad duos viros optimê inter se congruentes, qui Neronis erant comites et suasores: ad Burrum praefectum praetorianorum et ad Senecam, qui, ut Agrippinae matris potestatem compensaret, a Nerone perrectus est magno aestimari et largê donari. Quantum Seneca ad rem publicam

<sup>40</sup> *Fuhrmann*, p. 170; quoad tragoedias p.197sqq.; de tempore, quo tragoediae compositae esse videantur v. S. Grewe, qui bene comprehendit litteras de hac re usque nunc scriptas: *Die politische Bedeutung der Senecatragedien*. Herbipoli (Würzburg) a.2001, p. 8f.; De tragoediis adscribendis v. Ch. Walde: *Herculeus labor*. Francofurti ad Moenum (Frankfurt a.M.) a.1992, p. 1sq.

<sup>41</sup> SENECA, *Thyestes* 339-341: *Quis uos exagitat furor,/ alternis dare sanguinem/ et sceptrum scelere aggredi?/ [...] 348-352 rex est qui posuit metus/ et diri mala pectoris,/ quem non ambitio impotens/ et numquam stabilis favor/ uulgi praecipitis mouet [...] 388-390 Rex est qui metuet nihil,/ rex est qui cupiet nihil:/ hoc regnum sibi quisque dat;* 348-352; 388-390.

<sup>42</sup> *Thyestes*. cfr *Fuhrmann*, p. 222.

<sup>43</sup> Aurelius Victor, *Liber de Caesaribus* V 2.

singillatim effecerit, neque e testimoniis apparet neque e Senecâ ipso<sup>44</sup>. Neque de Senecae consulatu a.55 facto neque de eiusdem in senatu dictis factisque nobis aliquid certum traditum est.<sup>45</sup>

Inter priores actiones Neronis officiales fuit oratio funebris in patrem adoptatorem habenda. Quam Nero habuit more digno. Cum autem quodam loco mentio incidit de Claudii prudentiâ atque sapientiâ, adversus orationis causam auditores sunt exhilarati,<sup>46</sup> nam Claudius habebatur pro homine mentis hebetioris. Occasionem nactus Seneca hunc errorem funditus compensavit saturâ acerrimâ in Claudium scriptâ, cuius titulus est *Apocolocyntosis* (i.e. irrisio),<sup>47</sup> in qua Claudius non assequitur apotheosin petitam, sed contumeliosê fit apparitor viri liberti. Quod est unicum exemplum Saturae Menippeae, quod Seneca nobis reliquit<sup>48</sup>.

E contrario Senecae paraenesis, quam scripsit *Ad Neronem Caesarem de clementiâ*, ut discipulus principatum suscipiens admoneretur ad clementiam et officium cum pietate erga concives sibi subordinatos praestandum, bene congruit cum praeceptis suis philosophicis. *Marion Giebel* opinatur hac scripturâ, quam Seneca simul dedicaverit omnibus Romanis, eundem fundamentum posuisse iam pridem necessarium monarchiae Romanae, quae exorta sit sine ullâ lêge traditâ<sup>49</sup> et alluisse ad verba régis *Antigoni II. Gonatae*, qui dixerat regnum régi ipsi esse «*servitutum honorabilem atque gloriosam*».<sup>50</sup> Itaque Nero videtur interdum ostentationis causâ accepisse personam imperatoris clementis eo quod dignitatem senatûs verbis magis extulit quam antea; at, qua erat indole imperiosâ, vix umquam sibi visus est fungi ullo munere ministri. Quod tractat Fuhrmann his ferê verbis: „*Monarchus a nemine potest temperari, defectûs, qui inde efficiuntur, a nemine possunt compensari nisi ab ipso homine regente: Haec autem doctrina, quam Seneca bene consideraverat, ad neminem poterat valere nisi ad hominem, qui aptus erat ad se ipsum noscendum et expertus erat se esse cognitionis deminutae.*”<sup>51</sup>

<sup>44</sup> cfr Maurach 2005, p. 40; Giebel, p. 60.

<sup>45</sup> De tempore consulatûs computando v. G. Camodeca: *I consoli del 55-56 e un nuovo collega di Seneca nel consolato: P. Cornelius Dolabella*. in periodico, quod inscribitur: *Zeitschrift für Papyrologie und Epigraphik* 63 (1986), p. 201-215.

<sup>46</sup> Tacitus, *Annales* XIII 3, 1.

<sup>47</sup> Cassius Dio LX 35, 3.

<sup>48</sup> Quae satura plerumque traditur sub titulo, qui est: *Ludus Senecae de morte Claudii Neronis*; Fuhrmann, p. 176; cfr Giebel, p. 50.

<sup>49</sup> Giebel, p. 55.

<sup>50</sup> Giebel, p.57. Notum est Fridericum II., regem absolutum et illuminatum, hanc confessionem Stoicam eo expressit, quod regem dixit „primum rei publicae ministrum“.

<sup>51</sup> Fuhrmann v. 194. cfr etiam Sørensen, p.130–132.

Nero, ut propriam potestatem stabiliret, nequaquam servabat clementiam affirmatam, immo – inclinabat in contrarium. Iam a. 55 (quingentesimo quinto) inter Neronem et Agrippinam, quae in publicis quoque conventibus indicaret se velle regendi participem esse, simultates exortae sunt, quas ipse Seneca aegrè tantum sciret occultare. Mater cum filio minata esset *Britannicum* fratrem ex novercâ susceptum regnum occupare velle, Nero secundum testimonium id curavit, ut ille cenans in praesentiâ matris veneno imbueretur, et ut fama perferretur illum mortuum esse morbo comitiali correptum.<sup>52</sup>



Britannicus. Inest statuae Messalinae in Museo Lupariensi statutae.  
ca. a. 45 p.Chr.n.

### Incommoda potestatis participatae

Seneca cenae, quae Britannico facta erat fatalis, particeps non fuerat. Nuntio accepto quid idem dixisset fecissetve traditum non est. Seneca non videtur contradixisse famae publicè perlatae; sic quoque haud multum efficere potuit, nisi ad Neronem valere desineret.<sup>53</sup> Cum ab aulicâ re publicâ cottidie tractandâ se recepisset, interdum leviter significavit sibi difficile fuisse Neronem comitari. Sic fit in quadam *Epistulâ ad Lucilium scriptâ*, ubi scribit se *rectum iter sêro cognovisse*.<sup>54</sup>

Ex alterâ parte – quamquam, ut ferè semper, haud expressis verbis loquitur de se ipso - affert causas philosophicas, quibus diu et graviter particeps fuerit Romanae potestatis mundanae. Exemplo Socratis, qui annis 440 et 403 a.Chr.n. bello Peloponnesico exeunte sub Triginta Virorum dominatu concivibus demonstraverit se vivere animo libero et infracto<sup>55</sup> Seneca thesin comprobavit, qua vir sapiens et in afflictâ re publicâ de civibus bene mereri posset et oporteret pro circumstantiis

<sup>52</sup> Fuhrmann, p.182sq.

<sup>53</sup> cfr Fuhrmann, p.185.

<sup>54</sup> SEN.Epistulae morales 8,2sq. Secessi non tantum ab hominibus sed a rebus, et in primis a meis rebus: posterorum negotium ago. Illis aliqua quae possint prodesse conscribo; salutare admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus, quae etiam si persanata non sunt, serpere desierunt. [3] **Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando**, aliis monstro.

<sup>55</sup> [...] desperantes de re publica exhortabantur [...], cum inter triginta dominos liber incederet. (*De tranquillitate animi* V 2).

perpendere, utrum muneris publici gerendi spem concipere liceret necne.<sup>56</sup>

Iam intra illud „Quinquennium“, quod Traianus eximiê laudavit, Nero ad temeritatem et libidinum intemperantiam inclinatus difficultates attulit Senecae Burroque moderatoribus suis politicis. Cum olim Messalina graviter valuisset ad Claudium imperatorem, nunc ex anno 58 quoad Neronem id assecuta est *Poppaea Sabina*, quae altero iam connubio cum Othone (imperatore futuro) coniuncta erat.

At illo anno animus Senecae certê magis eo occupatus erat, quod *Publius Suillius Rufus* consularis, qui in causis delatorum erat infamis accusator, impetum fecit in famae suae integritatem. Nam Seneca Neronis beneficiis largissimis factus erat praedives (cum computaretur eum possidere ter milies, i.e. trecentos miliones, sestertium, îdem habebatur pro uno ex imperii Romani viris divitissimis<sup>57</sup>). Suillius eum primo conviciis, deinde etiam in causâ coram senatu contra eum actâ contendebat esse iuvenum mulierumque corruptorem necnon ardalionem lucri cupidum, qui „avaritiam suam velaret palliolo abstinentiae philosophico“. <sup>58</sup>

Seneca putatur se contra haec opprobria defendisse opere, quod inscribitur „*De vitâ beatâ*“. In eodem graviter negat disciplinam Stoicam repugnare divitiis privatis. Sed oportere, ut vir sapiens valeat desistere a bonis ac fortunis neve fiat illorum servus. Cum Seneca lectorem appellat verbis sequentibus, videtur in mentem revocare causam Suillii iudicalem: „*1. Desine ergo philosophis pecunia interdicere: nemo sapientiam paupertate damnauit. Habebit philosophus amplas opes, sed nulli detractas nec*

---

<sup>56</sup> SEN.De tranquillitate animi V 2-4. 2 Socrates tamen in medio erat, et lugentes patres consolabatur, et desperantes de re publica exhortabatur, et diuitibus opes suas metuentibus exprobrabat seram periculosae auaritiae paenitentiam, et imitari uolentibus magnum circumferebat exemplar, cum inter triginta dominos liber incederet. 3 Hunc tamen Athenae ipsae in carcere occiderunt, et qui tuto insultauerat agmini tyrannorum, eius libertatem libertas non tulit: ut scias et in afflicta re publica esse occasionem sapienti uiro ad se proferendum, et in florenti ae beata petulantium, inuidiam, mille alia inertia uitia regnare. 4 Vt cumque ergo se res publica dabit, ut cumque fortuna permittet, ita aut explicabimus nos aut contrahemus, utique mouebimus nec alligati metu torpebimus. Immo ille uir fuerit, qui, periculis undique imminentibus, armis circa et catenis frementibus, non alliserit uirtutem nec absconderit: non est enim seruare se obruere.

<sup>57</sup> vgl. [http://www.imperiumromanum.com/wirtschaft/wert/loehne\\_03.htm](http://www.imperiumromanum.com/wirtschaft/wert/loehne_03.htm). In Britannia Seneca pecuniam creditam, quae fuerunt quadringenties centena milia (i.e. 40 miliones) sestertium, tam importune exegit, ut Cassius Dio (62,2) opinetur hoc aliquatenus valuisse ad seditionem Boudiccaae (60-61 p.Chr.n.) excitandam. cfr CASSIUS DIO 62,2 πρόφασις δὲ τοῦ πολέμου ἐγένετο ἢ δήμευσις τῶν χρημάτων ἃ Κλαύδιος τοῖς πρώτοις αὐτῶν ἐδεδώκει: καὶ ἔδει καὶ ἐκεῖνα, ὡς γε Δεκκιανὸς Κάτος ὁ τῆς νήσου ἐπιτροπεύων ἔλεγεν, ἀναπόμπιμα γενέσθαι. διὰ τε οὖν τοῦτο, καὶ ὅτι ὁ Σενέκας χιλίας σφίσι μυριάδας ἄκουσιν <sup>3</sup> ἐπὶ χρησταῖς ἐλπίσι τόκων δανείσας ἔπειτ' ἀθρόας τε ἅμα αὐτὰς καὶ βιαίως ἐσέπρασεν, ἐπανέστησαν.

<sup>58</sup> Fuhrmann, p. 231.



*alieno sanguine cruentas, sine cuiusquam iniuriâ partas, sine sordidis quaestibus, [...]*<sup>59</sup>



**Claudia Octavia (40-62 p.Chr.n.)**

Num Seneca eo tempore adhuc tractaverit suas tragoedias, incertum est; sed notum est quandam tragoediam originaliter ei adscriptam, quae unica spectaret ad res illâ aetate in aulâ Neronis factas, non ab eo ipso scriptam esse. Persona huius tragoediae praecipua fuit *Octavia* Neronis uxor prima (sicut etiam Britannicus, a Claudio genita), quam in matrimonium ducens Nero confirmaverat petitionem suam imperii suscipiendi. Octavia, cum usque id temporis ab Agrippinâ socru suâ iam neglecta esset, tum nunc a Poppaeâ magis magisque de loco suo removebatur et postea, cum Seneca maximam partem se recessisset a

<sup>59</sup> De vita beata XXIII 1.

re publicâ administrandâ, coacta est, ut Romam relinqueret. Exemplo iam saepius delecto Octavia adulterii accusata erat, sed hoc vulgo non credebatur. Eadem, cum exsul quoque a populo valdê diligeretur ideoque et Neroni et Poppaeae videretur imminere periculosa, denique a.65 interfecta est.<sup>60</sup>



**Agrippina minor mater Neronis (15/16-59 p.Chr.n.)**

Tacito teste matricidii a.59 a Nerone constituti Seneca ipse particeps fuit.<sup>61</sup> Primum facinus in *Agrippinam* factum, cui contigerat, ut se servaret ex nave ita praeparatâ, ut aquis submergeretur, in irritum ceciderat. Nero dicitur deinde consilium petivisse a Senecâ Burroque. Tum homicidium perfectum esse ab *Aniceto* Graeco liberto Neronis familiarissimo. In

<sup>60</sup> cfr Fuhrmann, p. 183, 252, 307sq.; Sørensen, p. 172.

<sup>61</sup> De his deque sequentibus cfr Fuhrmann, p. 243sqq.

litteris senatui missis, quas Seneca, ut solebat, redegerat, scriptum erat nuntium Agrippinae Neronem voluisse interficere, illam ipsam, cum inceptum ad irritum cecidisset, sibi mortem conscivisse.

### **Senecam post recessum vacare ad opus senile scribendum**

Agrippinâ interfectâ Nero solus potestatem obtinens non iam eguit Senecâ, qui matri filioque temperanter intercessisset, ut Neronis postulata servaret. Tamen auctoritas Senecae, qui praeter Burrum principis erat consiliarius politicus maximi momenti, primo annisque sequentibus nullo modo deminuta est. Ambo Neroni administraverunt rem publicam regentes, cum imperator ipse magis magisque cupiditatibus se dederet curriculum equestrium particeps, munere musici et tragoedi fungens, fundator atque persona praecipua certaminum musicorum, qualia erant *Iuvenalia* et *Neronia*.

Tacito teste Seneca, cum Burrus a.62 mortuus esset, a cuius successore *Tigellino* potius infestabatur<sup>62</sup>, Neronem rogavit, ut se e munere publico dimitteret. Seneca autem dixit se optare, ut Nero magnam partem possessionis ei datae resumeret a se ipso administrandam. Hoc a Nerone recusatum est. Îdem enim respondit se non posse Senecâ carere neque posse possessionem redditam accipere nisi fama sua attereretur; tamen Nero solitis his meritorum laudibus Senecam a potestate exercendâ definitivê seiunxit. Seneca comites dimisit, a quibus auctoritatis suae politicae causâ circumdatus erat et magis magisque a negotiis publicis se removit ad otiumque perfûgit, plerumque in oppidum *Nomentum*, ubi erat praedium eius vinarium ab urbe Româ inter septentriones et orientem solem spectans.<sup>63</sup>

Seneca, quod re publicâ et civitatis mundanae administrandae officiis destitit atque defunctus est, in opere, quod inscribitur *De otio*, ratione philosophicâ considerat ignoto interlocutori respondens, quem inducit interrogantem: *'quid ais, Seneca? deseris partes? Certe Stoici uestri dicunt: "usque ad ultimum uitae finem in actu erimus, non desinemus communi bono operam dare, adiuuare singulos, opem ferre etiam inimicis senili manu. Nos sumus qui nullis annis uacationem damus et, [...]; nos sumus apud quos usque eo nihil ante mortem otiosum est ut, si res patitur, non sit ipsa mors otiosa."*<sup>64</sup> Seneca illis verbis contra dictis respondet haec:<sup>65</sup>

*„Hoc quod dico in duas diuidam partes: primum, ut possit aliquis uel a primâ aetate contemplationi ueritatis totum se tradere, rationem uiuendi quaerere atque exercere secreto; 2. deinde, ut*

<sup>62</sup> cfr Sørensen, p. 172.

<sup>63</sup> De Senecae dimissione fusê scribit: Fuhrmann, p. 266sqq.; cfr. Giebel, p. 101sqq.

<sup>64</sup> De otio I 4.

<sup>65</sup> De otio II 1-III 2.

*possit hoc aliquis emeritis stipendiis, profligatae aetatis, iure optimo facere [...] causa autem illa latê patet. Si res publica corruptior est quam <ut> adiuuari possit, si occupata est malis, non nitetur sapiens in superuacuum nec se nihil profuturus inpendet.“*

Sic quoque Seneca, ut erat Stoicus, pro certo habet se non solum civitati imperii Romani obnoxium esse, sed etiam illi civitati universali, quam constare ei persuasum erat ex naturâ rerum mundoque necnon omnibus hominibus deisque ibidem habitantibus. Huic civitati universali sole mensurandae in otio quoque inserviendum esse disquisitionibus multiplicibus:

*„...continua sit omnis et plena materia ex qua cuncta gignuntur, an diducta et solidis inane permixtum; quae sit dei sedes, opus suum spectet an tractet, utrumne extrinsecus illi circumfusus sit an toti inditus; immortalis sit mundus an inter caduca et ad tempus nata numerandus.“<sup>66</sup>*

Inde autem Seneca concludit: *„[...] Solemus dicere summum bonum esse secundum naturam uiuere: natura nos ad utrumque genuit, et contemplationi rerum et actioni.“<sup>67</sup>*

Spatio temporis otiosi, quod sibi vitâ activâ finitâ inter annos 62 et 65 p.Chr.n. restitit, Seneca praeter opus, c.t. *De beneficiis*, quo scripta sua philosophica consummavit, quae spectant ad themata specialia, duo incepta maiora ad effectum adduxit: *Quaestiones naturales*, quibus iam in insulâ Corsicâ incohatis tractavit phaenomena terrestria et meteorologica (fortasse etiam caelestia) necnon *Epistulas morales ad Lucilium scriptas*, quae continent praecepta practica philosophico-ethica. Eaedem epistulae, quarum nobis traditae sunt 124 (centum viginti quattuor), sunt philosophicum opus Senecae praecipuum. *Apelt* verbis *Gellii* in *Noctibus Attici* lêctis affirmat originaliter alias quoque Epistulas morales exstitisse.<sup>68</sup>

### **Senecam mortem exspectasse more Stoico**

Ultimum spatium temporis, quo Seneca scripsit opera sua artificiosa, eo finitum est, quod a Nerone iussus est ipse sibi mortem consciscere. In causâ erat coniuratio Pisonis, qui voluerat imperium Neronis finire. Quatenus Seneca reverâ particeps fuisset coniurationis, incertum est, sed verisimile est eum cum coniuratoribus consensisse. Fuhrmann putat

<sup>66</sup> De otio IV 2.

<sup>67</sup> De otio IV 2.

<sup>68</sup> Bd. IV, S. VII.

Senecam non ipsum participem fuisse, sed coniurationem quadamtenus consulendo praeparavisse.<sup>69</sup>

Cum in dies plures homines, inter quos etiam erant senatores, de Neronis regimine tyrannico indignarentur rerum mutationis cupidi, Seneca a *Manfredo Fuhrmann* putatur in opere quod scripsit *De beneficiis* furtim alludere ad Neronem verbis, quae sequuntur: „...*Si ...nec ira sed aviditate quadam saeviendi furit, si in ore parentum liberos iugulat, si non contentus simplici morte distorquet [...], si arx eius cruore semper recenti madet, parum est huic beneficium non reddere ! Quidquid erat, quo mihi cohaereret, intercisa iuris humani societas abscidit.*“<sup>70</sup>

Attentatio ex longo iam tempore praedisposita et compluries dilata denique mâne diei, quo coniuratores Neronem voluerant de medio tollere, prodita est. Imperator autem eo, quod promisit illos conscios, qui se adiuvent, effecit, ut permulti denuntiarentur, inter quos Seneca quoque erat. Ad discrimen rerum, in quod Seneca nunc adductus est, eius animus quadamtenus iam praeparatus erat: „...*Una est catena quae nos alligatos tenet, amor vitae, qui ut non est abiciendus, ita minuendus est, ut si quando res exiget, nihil nos detineat nec impediât quominus parati simus quod quandoque faciendum est statim facere.*“<sup>71</sup>

Valetudine suâ fragili Seneca iuvenis iam morti fuerat proximus. De difficultate spirandi suâ dicit haec: „...*Brevis autem valde et procellae similis est impetus; intra horam ferê desinit: [...] [2] Omnia corporis aut incommoda aut pericula per me transierunt: nullum mihi videtur molestius. Quidni? aliud enim quidquid est aegrotare est, hoc animam egerere. Itaque medici hanc 'meditationem mortis' vocant...*“<sup>72</sup> Cum philosophiae studuisset pernoscendae, rationem scivit, qua mortem pateretur: „*Hoc tibi de me recipe: non trepidabo ad extrema, iam praeparatus sum, nihil cogito de die toto.*“<sup>73</sup>

In *Epistulis ad Lucilium scriptis* mors denique a Senecâ iterum iterumque tractata est. *Apelt* in harum epistularum editione praefandâ cum commemorat apud Senecam *virtutem esse bonum unicê verum et metum mortis esse impugnandum*, adnotat haec: „*Si has epistulas pervolvens perquisiveris, quae sint earum argumenta praecipua, cognosces nullum argumentum tractari saepius atque fusius, hic illic usque ad lectoris fatigationem, quam illa ambo.*“<sup>74</sup> Apparet Senecam his epistulis lectori maximê conscium inculcasse, quatenam praecepta

<sup>69</sup> Fuhrmann, S. 315.

<sup>70</sup> Über Wohltaten VII, 19, 7; zit. n. Fuhrmann, S. 314.

<sup>71</sup> Epistulae morales 26, 10.

<sup>72</sup> Epistulae morales 54, 1f.

<sup>73</sup> Epistulae morales 54, 7.

<sup>74</sup> in Seneca, Philosophische Schriften, Bd. III, S. VI.

philosophiae suae nunc exigeret ad obrussam ultimam: “...*Ante senectutem curavi ut bene viverem, in senectute ut bene moriar*;...<sup>75</sup>”



Quomodo Seneca mortuus sit. Haec imago inest *Libro chronicarum* Schedeliano.

Quartâ iam epistulâ ad Lucilium scriptâ Seneca magno cum rigore animi iudicaverat eo quod nullam vitam consideraverat esse aliquid bonum nisi moribus puram atque integram. Virum sapientem, cuius tranquillitas gravius perturbaretur, tantâ constantiâ morum esse, ut vitam suam finiret: „...*Itaque sapiens vivet quantum debet, non quantum potest. [5] Videbit ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus. Cogitat semper qualis vita, non quanta sit. Si multa occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittit se; nec hoc tantum in necessitate ultimâ facit, sed cum primum illi coepit suspecta esse fortuna, diligenter circumspicit numquid illic desinendum sit.*“ [6] *Citius mori aut tardius ad rem non pertinet, bene mori aut male ad rem pertinet; bene autem mori est effugere male vivendi periculum.*<sup>76</sup>

Hoc problema a Senecâ eo fusê tractatum est in epistulâ septuagesimâ, quod illos philosophos vituperavit, qui dicerent malum esse mortem sibi consciscere: „...*Hoc qui dicit non videt se libertatis viam cludere: nihil melius aeterna lex fecit quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitûs multos.*“<sup>77</sup> Non posse ratione generali decerni, utrum in singulo casu mors esset exspectanda an proprio Marte consciscenda: „...*multa enim*

<sup>75</sup> Epistulae morales 61, 2.

<sup>76</sup> Epistulae morales 70, 4f..

<sup>77</sup> Epistulae morales 70, 14.

*sunt quae in utramque partem trahere possunt. Si altera mors cum tormento, altera simplex et facilis est, quidni huic inicienda sit manus?*<sup>78</sup> Seneca, cum iterum iterumque accuratê tractaverit quaestiones mortis moriendique, hac in epistulâ septuagesimâ Lucilio scriptâ concludit haec: „[12] *Praeterea quemadmodum non utique melior est longior vita, sic peior est utique mors longior. In nullâ re magis quam in morte morem animo gerere debemus. Exeat qua impetum cepit: sive ferrum appetit sive laqueum sive aliquam potionem venas occupantem, pergat et vincula servitutis abrumpat. Vitam et aliis approbare quisque debet, mortem sibi: optima est quae placet. Vitam et aliis approbare quisque debet, mortem sibi: optima est quae placet.*“<sup>79</sup>

Nero de magistro suo se vindicavit duobus gradibus. Seneca postquam denuntiatus est, imperator praefectum militum ad illum misit cum uxore Pompeiâ Paulinâ et duobus amicis modo cenantem, ut diceret, quaenam ratio intercederet inter se et Pisonem. Seneca quamvis suspicionem verbis expressam haud affirmaret, tamen paulo post ab altero nuntio accepit mandatum sibi ipsi mortem consciscendi. Cum tabulas sibi afferri ad testamentum scribendum vellet, hoc ei interdictum est. Tum amicis suis praesentibus dixit se illis heredium relicturum esse unicam rem simulque pulcherrimam, *imaginem vitae suae*. Animo praeparato cum esset, Seneca neque mortis tempore territus est neque loco neque genere: „...*neminem eo fortuna provexit ut non tantum illi minaretur quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere: momento mare evertitur; eodem die ubi luserunt navigia sorbentur. [8] Cogita posse et latronem et hostem admovere iugulo tuo gladium;*...“<sup>80</sup>

Tacitus *Annalibus* suis describit, quomodo Seneca mortuus sit eiusque uxor Pompeia Paulina conata sit unâ cum marito mortem obire.<sup>81</sup> Senecae non contigit, ut vitam suam finiret, antequam hoc facere conatus est tribus modis: venis brachiorum arteriisque pedum incisus, poculo cicutae epoto (quo Socrates interfectus erat) et tandem vaporatione, qua suffocatus est (TAC. Ann. XV): „*Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat provisum pridem venenum, quo d[am]nati publico Atheniensium iudicio exstinguerentur, promeret; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et cluso corpore adversum vim veneni. postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum addita voce libare se liquorem illum Iovi liberatori. exim balneo inlatus et vapore eius exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematur. ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret*”.

<sup>78</sup> Epistulae morales 70, 11.

<sup>79</sup> Epistulae morales 70, 12.

<sup>80</sup> Epistulae morales 4, 7sq..

<sup>81</sup> Tacitus, Annales XV 60–64.

Uxor Senecâ rogante inter hanc vexationem dolorosam aliud in conclave erat allata. Nero, qui a nuntiis de his rebus certior fiebat, iussit venas Paulinae obligare, ut eadem quamvis infirmata maritum per nonnullos annos vitâ superaret.



*Mors Senecae. Pinxit Luca Giordano. Haec pictura hodie est in Parisiensi Museo Lupariensi.*

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
DE SENECA PHILOSOPHO SCRIPTAM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS  
NICOLAUS GROSS**

<http://www.leolatinus.com/>

*(Tertia pars sequetur)*



# DE RAPTORE HOTZENPLOTZI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

## De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfriedi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:  
**[www.leolatinus.com](http://www.leolatinus.com)**



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*  
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)  
Stuttgart/Wien, [www.thienemann.de](http://www.thienemann.de)

Editio Latina:  
Copyright © 2013 by LEO LATINUS  
[spqr@leolatinus.com](mailto:spqr@leolatinus.com)  
ISBN 978-3-938905-33-3



# ***Recitator***

Fabula romanica  
quam theodiscê scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ  
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistolam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)  
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUODESEXAGESIMAM**

**EL 58**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

**d. Solis, 29.m. Sept. a.2013**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**